

I. O. Slangendorp


De

Magistratu politico.

Hafniæ 1596.














BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS





# CORRVPTELIS VERÆ DOCTRINÆ DE MAGISTRATV POLITICO, THESES PAVCÆ

*opposita, & testimoniis sacræ scripturæ firmißimisq; rationibus confirmatæ, ad quas*

Andreas Ioannis H.
κατηροπον ἀνδρός.

PRAESIDE

IOHANNE OLAI SLANGENDORPIO 28. Iulij

*Respondebit*

ESBERNVS GEORGII SAMSINGIVS.




HAFNIÆ.

Excudebat Matthias Vinitor, Anno Domini,

M. D. XCVI.


126

# PROPOSITIO.

CVm non desint, qui magistratum politicum ab Ecclesia exterminandum esse censeant, precium me operæ facturum existimo, si vice hac de Magistratu politico publ. disputem: vt juuentus discat Rempubl. quamuis, sine magistratu & principe neq; institui, neq; conseruari posse, nisi ἀκέφαλον eam esse velimus, quod nequaquam conuenit, sed naturæ est aduersum.

## QVÆSTIO.

Quæritur ergo an potestas, quæ gladium gestat, in terra omnium sit suprema, cui quicunq; hîc vitam degunt, subjecti esse debeant, an non?

## ORDO

Ad hanc quæstionem ut rectè respondeatur, de tribus rebus ordine dicendum est. 1. de origine Magistratus, an ejus ordinatio & functio à Deo sit & Deo probetur. 2. Quotuplex & quid sit. 3. Quare sit & quæ ejus effecta, quibus præmissis, ad quæstionem facilis erit solutio.

## THESIS. I.




Vòd Deus ipſe initiò reges, principes & magiſtratus inſtituit, eos gubernauit & conſeruauit apertè docent ſacræ ſcripturæ. Syracid. 17. v. 4. Prouerb. 8 v. 16. Sap. 6. v. 4. 2 Reg. 6. v. 21. 1 Paral. 28. v. 4. Sap. 9. v. 7. 2 Paral. 36. v 23. Daniel. 5. v. 18. Deut. 1. v. 15. & 16. v. 15. Ioan. 19. v. 11.

II.

Idem teſtatur quoq; Deus multis variis & ampliſſimis Titulis & Epithetis, quibus magiſtratus politicus ornatur in ſacris literis. Vocantur enim Magiſtratus 1. in ſcripturis ANGELI DEI, 2. Reg. 14. v. 27. & 19. 2. SALVATORES, cùm per hos ſalus hominum pariter temporalis & æterna promoueatur, Genes. 50. v. 20. Iud. 3. v. 9. & 15. Iud. 2. v. 16. 3. DII appellantur ratione officij, quòd loco Dei in hoc mundo res adminiſtrent. Pſal. 135. v. 2. 96. v. 4. Pſal. 82. v. 1. & 6. 4. PASTORES hominum, tam defendentes quàm paſcentes ſubditos. Num. 27. v. 17. Pſal. 77. v. 72. Ierem. 13 v. 20. 25. v. 34. Eſa. 44. v. 28. 5. Conferuntur quoq; fertilibus arboribus & vitibus, præbentibus ſimul victum & vmbram ſeu defenſionem, Ezech. 31. v. 3. Cant. 2. v. 3. & 4. v. 3. & 13. Ezech. 17. v. 6. & 7.

III.

Sanctus quoq; vates Daniel non tantum Monarchias à Deo eſſe, & ab eo inſtitui & gubernari oſtendit, ſed

 etiam

etiam addit: Laudetur nomen Domini à ſeculo in ſecu-
lum, cuius eſt omnis ſapientia & potentia.

IV.

Cùm autem magiſtratum Dei ordinationẽ eſſe conſtet, omnibus temporibus populi cultiores & ſapientes, ſemper aliquos magiſtratus habuerunt, & nunc quoq; prudentiores populi ſuos habent magiſtratus, & eodem modo ad extremum uſq; diem fiet.

V.

Quinetiam nullo tempore Iſraëliticus populus adeò miſer & afflictus fuit, atq; poſt Samſonis mortem, cùm nullus in Iſraële magiſtratus eſſet, ſed vnusquisq; ſuo arbitrio viueret. Tum enim rapinæ, ſeditiones, bella, cædes fiebant, & miſer eorum ſtatus erat. Alijs etiam temporibus magni tumultus orti ſunt, cùm impij officium ſuum ad quod erant à Deo vocati negligenter adminiſtrarent: Prouerb. 11. v. 14. Num. 27. v. 17. Habac. 1. v. 14. Sed imperantibus pijs & grauibus hominibus, quales fuerunt Ioſeph, Genes. 42. Moſes Exod. 4. Ioſue Deut. 34. Gedeon Iudicum 6. Dauid 1 Reg. 16. Ezechias 4 Reg. 11. Ioſias 22. Daniel ejusq; ſocij Daniel: 6. Mardocheus Esther. 8. & ſimiles, felix quoq; & tranquillus fuit ſtatus populi Iſraëlitici, id quod prolixè docent & confirmant Sacræ literæ. Atq; hactenus de origine & inſtitutione magiſtratus.

VI.

Cæterùm de deriuatione vocis Magiſtratus, non eſt quòd curioſè laboremus: ſed volunt quidam magiſtratum

à ma-

à magistris dictum esse, & repræsenta• potestatem & officium eorum, qui subditis vel populis aut jure hæreditario dominantur, aut per liberam electionem præficiuntur. Magistrũ autem deducunt vel ab aduerbio magis, quòd magistri alijs dignitate ac potestate præcellant, vel à μέγιστος græca voce, quæ significat maximum & amplißimum, vel à μεγιστᾶνες magnatibus Marc. 6. v. 21. δεῖπνον ἐποίει τοῖς μεγιστᾶσι Apocal. 6. v. 15. καὶ οἱ μεγιστᾶνες & 18. v. 23. ὅτι οἱ ἔμποροί σου ἦσαν οἱ μεγιστᾶνες τῆς γῆς. Quicquid tamen sit, siue à græcis vocib. siue ab aduerbio deducatur, omninò magistratus, potestatem & officium summum notat.

VII.

*Magistratum alium dicimus esse politicum alium Ecclesiasticum. 1 Cor. 12. v. 28. & 29. Ephes. 4. v. 11. Act. 20. v. 28. 1 Timoth. 5. v. 1. & 3. v. 8. &c. sed nos de politico hoc tempore disputamus, quem P. M. Philippus Melancthon definit esse, qui gladium gerat & ciuilem pacem tuetur. Ac alibi hanc definitionem copiosiùs explicans addit esse potestatem à Deo ordinatam, ut curam religionis habeat, sit custos utriusq; tabulæ mandatorum Dei, præscribat recta & utilia, puniat sontes ac innocentes defendat, cui obediendum non solùm propter iram sed etiam propter conscientiam.*

VIII.

*Has definitiones neminem adeò simplicem & imperitum esse arbitror, qui non clarè animaduertat desumptas esse ex verbis Pauli Rom. 13. & per illa confirmari.*

 Docet

## IX.

Docet enim Paulus apertè 1. Magiſtratum eſſe à Deo, ac Deum ordinare magiſtratum interdum immediatè interdum verò mediatè. 2. Quòd qui poteſtati ſeù Magiſtratui reſiſtat, reſiſtere Deo, qui ideo ipſum puniturus ſit, loquitur autem hæc Paulus ad Chriſtianos, qui in Eccleſia Chriſti ſunt. 3. Obſeruatione etiam dignum eſt, quód magiſtratum etiam miniſtrum Dei nominet. 4. Docet quare magiſtratus â Deo ſit inſtitutus in bonum, ad bonos tuendos ac defendendos, ad exterrendos & puniendos malos. 5. Non temerè illi gladium à Deo, hoc eſt, vindictam & poteſtatem puniendi datum eſſe. Debere enim ipſum vindictam Dei erga malos exſequi, ideoq; Deus antequam magiſtratus ad Chriſtianos delati eſſent, quandoq; defenſione gentilium magiſtratuum ad Eccleſiam tuendam uſus eſt: quemadmodum in Paulo apparet. 6. Quoniam magiſtratus in bonum humani generis inſtitutus eſt, obiter oſtendit, quinam ſe potiſſimum magiſtratui opponant, nempe qui quod malum eſt faciunt & tamen impuniti eſſe cupiant. 7. Docet Paulus obtemperandum magiſtratui, libenter id quod illi debetur perſoluendum, ac ipſum deniq; pertimiſcendum & honorandum.

## X.

Etſi autem ex hoc loco Pauli tertium emergat, nempe, quæ ſint effecta Magiſtratus Chriſtiani: tamen cùm Anabaptiſtæ impudenter & contra conſcientiam hanc doctrinam vellicent & damnent, omiſſa alia definitionum

'αναλύσει, tantum quædam eius membra repetam, ex quibus quæ præcipua sunt munia magistratus politici patescet.

XI.

Sed priùs nihilominus monendi sumus, magistratum politicum bifariam se habere, superiorem siquidem esse atq; inferiorem.

XII.

Superiorem eum appellamus, cui in sua Republ. potestas est prima, ut qui pro sua authoritate legem in ea figit atq; refigit: id quòd regum atq; principum est, quibus sua regna & suæ prouinciæ contingunt. Matth. 20. v. 25. & 22. v. 38. Act. 25. v. 12. 1 Pet. 2. v. 13. Prouerb. 20. v. 28.

XIII.

Cæterum quia omnem populi multitudinem soli gubernare non possunt, maximè per singulos cœtus necessum est habere, quibus administratio ex parte committatur, quem inferiorem magistratum dicimus: vt qui â superiore pendet, & negotia majora ad eum refert: qui ut & ipse in officio sit, principis interest. Exod. 18. v. 21. Prouerb. 11. v. 14. Sap. 6. v. 26. Iosu. 23. v. 2. & 24. v. 1. Iosephus libro 2. Antiquitatum Cap. 13.

XIV.

Ex definitionibus & loco Pauli ergo nunc perspicuè inferimus, 1. officium eius, qui Christianus & sanctus Magistratus esse voluerit: omnem diligentiam adhibere, ut sit custos utriusq; tabulæ, ac proinde ut in primis instituat ac tueatur purum Dei cultum, quarum rerum rationem reddet in seuero Dei judicio, quo ille mundum judicaturus est.

Verum

## XV.

Verùm quia hanc Thesin nostram impugnant primùm Anabaptistæ, qui contrariam sententiam firmiter retinent, ac docent magistratum non posse neq; debere curare res & negotia Religionis. Deinde in hoc dogmate consentiunt magna ex parte Romanæ Ecclesiæ primates, qui Cæsares, Reges, Principes & omnes deniq; magistratus â negotiis fidei & Ecclesiæ remouerunt, & ea sibi soli vendicarunt, jamq; à multis admodum annis miris fraudibus & artibus, magno Ecclesiæ & fidei damno obtinuerunt, necesse est ut hanc assertionem scripturæ testimoniis diligenter muniamus, ita ut cuiuis appareat pios magistratus politicos à fidei negotiis non esse exclusos.

## XVI.

Ex innumeris igitur hæc pauca aduersariis obijcimus Deut. 17. v. 18. 2 Reg. 23 v. 2. 2. Paral. 29. v. 3. & v. 15. & v. 17. Psalm. 23. v. 9 & 10. Sap. 1. v. 1. Esa. 49. v. 23.

## XVII.

Dauid quoq; quoniam sciebat hanc primam curam ad reges & magistratus pertinere, ut Religio Dei ritè disponatur, hortatus est eos ad id officii Psal. 2. v. 10. dicens: Et nunc reges intelligite &c. Salomon quoq; superiorem religionis curam sustinuit, non in ædificando tantùm templum Domini, sed & consecrando & inaugurando. 2 Paral. 6. cap: toto, Asa Rex Iudah religionis curam gerens, abstulit idola de omni terra Iehudah & Benjamin, & ex urbibus quas cœperat montis Ephraim ac de-

dicauit

dicauit altare Domino, quod erat ante porticum Domini. Consimiliter fecit & Iosaphat Rex Iehudah 2 Paral. 17. Ezechias quoq; potentissimus Rex, vestigia Dauidis sequutus, primam ac singularem curam reformandæ religioni impendit, 2 Paralip. 29. 30. 31.

## XVIII.

Ex his paucis manifestum esse spero I. ea potissimũ à magistratu curanda esse, quæ ad Publ: salutem & felicitatem conseruandam faciunt. Atqui fides seu religio præcipuè facit ad conseruandam salutem & felicitatem populi. Ergo magistratus præcipuam fidei ac religionis curam sustinere debet.

## XIX.

2. Si Deus ipse populi sui magistratibus, legis librum dedit, & hunc legere atq; ex eo omnia administrare iussit, Vnde etiam huius mandati ratione pij magistratus, iudices & reges, fideliter ea quæ ad fidem pertinent curarunt, promouerunt, & defenderunt veram religionem, falsam autem sustulerunt & proscripserunt: Consequens est cultũ ac religionem ad ipsos pertinere. Atqui primum sic, ergo quoq; & posterius. Iosu: 1. v. 8. 4 Reg. 22. v. 8.

## XX.

3. Si reges & principes Christianos, fore Ecclesiæ nutritios, Spiritus Sanctus prædixerat, fieri illud sanè non potest, si nullam religionis curam habeant. Atqui illud

Esa. 49. v. 23. prædixit. Ergo & rectè consequitur alterum, ac per consequens illi in quibus hæc prophetia completa fuit, religionem & fidem curarunt.

## XXI.

Sic Constantinus Imperator, idolorum templa claudere iußit, & synodum omnium vel saltem præcipuorum ministrorum verbi, Niceam Bythiniæ conuocauit, propositoq; nouo ac ueteri testamento, iußit ex illis absq; contentione, controuersa dogmata explicare & confirmare. Vnde Eusebius ipsum 1. & 4. libro de uita Constantini, uniuersalem Episcopum Ecclesiæ Christi nominauit.

## XXII.

Valentinianus, Gratianus & Theodosius Imppp: publico edicto falsam doctrinam prohibuerunt, & omnes per vniuersum imperium, eam fidem ut veram amplecti iusserunt, quam Christus Seruator & eius sancti Apostoli docuerunt.

## XXIII.

Plura huius generis exempla commemorare poßem, nisi his satis confirmatum eßet, Christianum magistratū poße & debere Religionis curam suscipere. Sicut ergo nugæ Anabaptistarum pios magistratus non permouere: sic quoq; eosdem impuri Papistæ minimè turbare debent, obgannientes: non pertinere ad eos vel minimam religionis admini-

*administrationem, sed omnem administrationem spiritualibus relinquendum esse.*

## XXIV.

*Nam quisquis aliquem Dei sensum habet, facilè intelligit principum & magistratuum quorumlibet, quibus Dominus merum imperium deputauit, cùm necessariis legibus, tum omni Reipub: administratione, munus esse, apud suos procurare, ut Religio Christi rectè habeat, & apud subditos Euangelium Christi purè doceatur, consonæ huic Ceremoniæ habeantur, nullus sit falsæ doctrinæ aut superstitioni locus. Itaq; quòd Anabaptistæ acriter ac totis viribus contendunt, neminem ad verbum Dei, fidem ac bonum adducendum aut ulla ui cogendum, neq; etiam quemq̃ propter fidem ac Religionem, puniendum aut interficiendum esse, delirantium hominum somnium est.*

## XXV.

*Nam quia non omnes subditi sunt boni sed pleriq; adeò mali, ut parùm curent pias conciones, iustas leges, ac constitutiones principum honestas, nisi etiam accedant contra ipsos grauißimæ corporales pœnæ, administrent quoq; magistratus iustitiam gladio, quo diuinitus sunt armati, tàm ad promouendos & defendendos bonos, quàm puniendos malos & rebelles, Deut. 13. v. 5. & 17. v. 7. Psal. 106. v. 43. Prouerb. 20. v. 2. Psal. 100. v. 8.*

## XXVI.

Nec puniant tantùm quæ cum secunda: sed etiam prima Decalogi tabula pugnant, nempe manifesta scandala & flagitia, ut Epicureum publ. ministerij Ecclesiastici contemptum & blasphemias nominis diuini. Daniel. 3. v. 7. Leuit. 24. v. 14. 4 Reg. 23. v. 24. 1 Reg. 8. v. 3. Nehem. 13. v. 19.

## XXVII.

Manicheorum, Donatistarum ac aliorum hæreticorum iste furor fuit, principes, quemq́ in causa Religionis debere suo relinquere arbitrio. Quem errorem D: Augustinus testimoniis sacræ scripturæ fortissimè retudit in libris, quos contra utramq́ luem scripsit, præcipuè uero in Epistola ad comitem Bonifacium de correctione Donatistarum &c.

## XXVIII.

Sicut ergo Religio primam curam magistratus poscit: Sic quoq́ ad officium eiusdem spectat, ius dicere, iure gladij contumaces occidere, bonos tueri ac præmiis ornare, apud eundem Christianos posse causas ac controuersias suas proponere, ac deniq́ coram ipso legitimè disceptare & contendere, & hoc esse [illegible] deo gratam ac acceptam. Ierem: 22. v. 3. Psalm. [illegible] v. 3 & 4. Rom: 13. v. 3. Genes. 9. v. 6. Prouerb. 16. v. 12.

## XXIX.

Cùm autem hactenus de præcipuis muniis magistratus

tus

tus dixerimus, quibus etiam multa alia includuntur, à quibus breuitatis gratiâ supersedemus, ne oneri simus lectori, nunc ad quæstionem initiò propositam respondebo.

## XXX.

Itaq; ex his quæ hactenus præmisimus, effectum iam est & euidenter constat: Potestatem in quauis Republica quæ gladium gestat, de qua nimirum in præsenti dißerimus, eße in terris omnium supremam, cui subjecti addictiq; eße debent, quicunq; in seculo uiuunt, & à qua subjectione nec Religio eximitur, nec quicquam aliud.

## XXXI.

Huius verißimæ responsionis hæc irrefragabilis euidentißimaq; ἀπόδειξις est. Cui potestati in terra omnis anima, id est quicunq; hîc uiuunt, etiamsi Apostoli sint, Euangelistæ & Prophetæ, Papa, sacerdotes & monachi, subÿciuntur neceßariò, sic iubente Deo, ea utiq; prima omnium potestas est in terra, & debent illi subiecti esse, quicunq; hîc uitam degunt. Atqui talis est potestas quæ gladium gestat. Ergo potestas quæ gladium gestat in terra omnium suprema est, eiq; nemo non mortalium subÿcitur neceßariò, ita iubente Deo. Maior per se nota est. Cui enim potestati nemo non subiectus est, ea utiq; potestatum omnium suprema est. Iam per omnem

animam ab Apostolo intelligi, quicquid hominum hîc uiuit, non Chrysostomus solùm: sed omnis uetus purior Ecclesia agnoscit, ut id passim apud omnes sanctos patres legimus. Atqui hanc supereminentem potestatem, cui Apostolus cunctos subjcit, esse eam, quæ gladium gestat, ipse Apostolus exponit dicens: Non gerit gladium frustrà: Hac itaq; demonstratione quid euidentius? quid clarius?

## XXXII.

Si ergo potestas quæ Gladium gestat omnium suprema est, primùm hoc consequitur, quòd ius habeat magistratus, exigendi à subditis tributa & uectigalia, Rom: 13. v. 6 & 7. ijsq; non solùm ad publ. muneris sui onera sustinenda uti debet: verumetiam uti eis licet, ad splendorem domesticum & dignitatem suam tuendam. 1 Samuel: 8. v. 11. Genes. 44. v. 22. & 23. Daniel. 2. v. 48. Genes. 40. v. 20. 2 Paralip. 18. v. 2. Deinde & hoc sequitur subditorum erga suos magistratus officium esse 1. pro iis orare, eosq; suspicere 1. Timoth. 2. v. 2. ac reuereri ut Dei ministros ac legatos, Rom. 13. v. 7. & 13. v. 14. Deinde ut propensis in eorum obseruantiam animis, suam illis obedientiam approbent, & non solùm propter iram: sed etiam propter conscientiam 2 Pet. 5. v. 13. & 14. 1 Pet. 4. v. 15. 3. ac si etiam tyrannicè, iniustè & impotenter imperarint, obediendũ esse, dummodo nihil mandent quod Deus uetuit, nihiluè vetant quod Deus mandauit. Nam in hoc

casu

casu tenenda est regula Petri. Act. 4. v. 19. Matth. 22. v. 21.

## XXXIII.

Atq; cùm hactenus dictum sit, unde habeat originem magistratus, tum quotuplex & quid sit, ac tertiò quæ sint eius præcipua effecta, reliqua innumera quæ huc spectant, hoc tempore omittimus, ac Deum oramus, ut eos quibus ipse gladium dedit, doceat etiam eo legitimè uti, & imprimis dare operam, ut officium & vita eorum rectè habeat, qui in hoc constituti sunt, ut sint sal terræ & lux mundi, quibus munus suum ritè obeuntibus, necesse est, esse salua reliqua omnia, negligentibus uerò, aut ut iam sæpe & passim fit peruertentibus, oportet ut reliqua intereant & cadant rectè constituta.



